

Dissertatio medica inauguralis, quaedam de morbis mammarum, complectens. Quam... : Eruditorum examini subjicit / Edvardus Hart, Hibernus.

Contributors

Hart, Edward, active 1782-1798.
University of Edinburgh.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1782.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/t2sz3m8y>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM

2

DE

MORBIS MAMMARUM,
COMPLECTENS.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Præfetti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

EDVARDUS HART,

HIBERNUS.

Soc. Chir. Med. Sod. Hon. et Præf. Annuus.

— Miseris succurrere disco. VIRG.


Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXII.



DISSERTATIO MEDICA
IN AEGYPTIIS
QUE DAM

DE

MORBIS MAMMARUM
COMPLECTENS

QUAM
AUCTORITATE NUMMO NUMINE

GUILIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAESES

PRO GRADU DOCTORATUS
PUBLICAE FACULTATIS MEDICAE
EDINBURGENSIS

EDVARDUS HART,
HIRSUS

Soc. Chir. Med. Soc. Hon. et Priv. Annun.

Edinburgae, 1822.

Ad diem 24 Junii, hora secunda post merid.

EDINBURGH
ANDRÉ LAFOUR & SMELLIE

Academice Typographice

MDCCLXXII

Viro ornatissimo

GULIELMO DROUGHT, M. D.

Artem Appollinarem, apud Ballygeehin,

Summa cum laude sua,

Et humani generis salute,

Feliciter exercenti;

Nulli, morum elegantia,

Omnibusque virtutibus viro ingenuo dignis,

Secundo,

Hæc studiorum fuorum primitias,

Laeto animo, dicat

EDVARDUS HART.

COLLEGIUM DROUGHT M.D.

A. 1790

EDWARDUS HART

EDWARDUS HART

EDWARDUS HART

EDWARDUS HART

EDWARDUS HART

EDWARDUS HART

EDWARDUS HART

EDWARDUS HART

EDWARDUS HART

EDWARDUS HART

EDWARDUS HART

EDWARDUS HART

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

QUÆ DAM

DE

MORBIS MAMMARUM

COMPLECTENS.

CUM muliebri corpore tenellum sit adeo et irritabile, ut a causis, etiam futilissimis, mala etiam gravissima orientur, morbi, quibus foeminae objiciuntur, curam medici sibi vindicant maxime diligentem.

Lauream Academicam igitur ambienti pauca de morbis mammæ conscribere præsertim fert animus.

A

Hanc

Hanc dissertationem in septem capita dividere placuit.

I. De structura mammarum.

II. De lactis secretionem post partum.

III. De cura mammarum mulierum, quibus in animo est prolem suam lactare.

IV. De cura mammarum mulierum, quibus in animo non est prolem suam lactare.

V. De abscessibus mammarum post partum orientibus.

VI. De scirrho et cancro mammarum.

VII. De cura papillarum.

S E C T. I.

De Structura Mammarum.

Mammae sunt organa ad infantis nutritionem constituta, et venustatis foeminarum partem efficiunt haud mediocrem. Eminentiae

nentiae sunt duae plus minus rotundae, anteriores circa et parum versus laterales thoracis partes sitae. Apud puellulas cutanea tantum tubercula rubicundo colore existunt, papillae nempe, quae parvo et tenui circulo subfusco, quem areolam vocant, circumdantur. In foeminis puberibus, hae tumescere et molem solent, quinque circiter aut sex pollices latam, efficere, papilla et areola circa mediam convexae superficiei partem collocatis; hae moles nominantur mammae, quae ad certam aetatem crescere, et sub partus adventum interque nutrices plerumque observantur. In virginibus, post pubertatem ad certam usque aetatem, texturam firmiorem habent; in nuptis autem minus firmae fiunt, quod in fervidis regionibus potissimum accidit, adeo ut matres liberos suos, mammis humeros trajectis, lactare soleant.

Mammae ex materia glandulosa, adiposa, et cellulari, plurimis vasis sanguineis et resorbentibus, lactiferis ductibus, et nervis

con-

conformantur. Moles mammaram praecipua ex pinguedine constat; circa mediam cujus partem glandulae revera conglomeratae collocantur. Hae sunt (veluti pleraeque aliae glandes) tela passim cellulosa intersectae, quo fit ut firmior textura variis vasorum sanguineorum, &c. ramulos sustentet. Sanguinem suppeditant hisce partibus rami ex internis arteriis mammariis, qui anastomoses cum epigastrica efficiunt. Nervis ab intercostalibus, qui sympathetico majori immiscent cursum, largius donantur. Ductus lactiferi ex ipsis arteriis oriuntur, et numerosi sine ulla intermissione perlabuntur, donec ad papillam propius accedunt, ubi communicationes inter sese non paucas efficiunt, et decem duodecimve ductibus confectis, subito ad papillae radices contrahuntur, et inter transeundum quodammodo sinuosae evadunt, quod ex papillarum elasticitate, et in actu lactandi observandis, liquido apparet. Attamen diversos inter auctores adhuc disputatur: Hallerus viginti enumerat, Whittius sex tantum vel octo existere

existere cenſet, Nuckius octo eſſe vel novem exiſtimat. Hi ductus, ubi papillam perforant, exigui adeo ſunt, ut ceram arte Ruyschiana per eos tranſmittere ſit difficiliſimum. Papillae in quibus ductus deſinunt ex materia ſpongioſa, elatiſtica, et cellulari conſtant, perquam ſenſiles ſunt, et molis diverſis in foeminis diverſae; earum ad radices ponitur areola, e glandibus coloris flavi pluribus ſebaceis conformata: Papillae in cadavere etiam elatiſticae inveniuntur; in vivo autem ſerpentinis ductibus (ut ſupra dictum) quodammodo contrahuntur; inter lactandum vero, ductus fiunt recti, quo papilla diſtenſa, vel erecta, cauſis erectionis vel diſtenſionis haud bene compertis, evadit.

S E C T.

S E C T. II.

De Lactis post partum Secretione.

Lac habere omnia mammalia, neminem latere potest; hic vero loci in nostra specie sola ipsius secretionem sumus tractaturi. Atque hic quidem quaestio oritur, quare, scilicet, tam constanter post partum mammae lac secernere soleant? Plerumque respondetur, majorem fieri sanguinis determinationem ad mammas post partum quam alias; etenim quicumque secum reputat mammas tumescere, dubitare nequit quin ita sese res habeat, praesertim cum omnes corporis secretiones e circulante massa suppeditari persuasissimum sit; sed, quod responso difficillimum est, quibusnam ex causis major haec sanguinis copia ad mammas tunc temporis determinetur? In tenebris hoc
semper

semper forsan abditum manebit; sed sola causa, quae sensibus nostris videtur, est hujusmodi: Post partum, magna vis sanguinis jam antea ad uterum missi, nunc per anastomosin epigastricae arteriae cum mammaria, illuc majore copia quam antea profluit; utero enim derepente contracto, aucta sanguinis quantitas, quo hoc viscus gravidum egebat, repulsa, facile ad mammas defertur.

Hanc opinionem non pauca confirmant: *1mo*, Magnus qui obtinet uterum inter et mammas consensus. *2do*, Ea quae in foeminis gravidis, aut enixis, et in infantibus observantur. In foemina gravida, plurimo sanguine, ad nutrimentum foetus necessario, vasa uteri dilatantur, et major sanguinis copia ea pervadit; hinc mammae tumescunt; post partum vero, profluentibus lochiis, vasa epigastrica parum distenduntur; inde mammae detumescunt; postea autem, lochiis suppressis, mammae rursus tument*.

Simile

* Young de Lacte.

Simile aliquid apud infantes accidit ; nam, fune umbilicali constricto, sanguis arterias umbilicales permeare nequit, ac proinde, majore copia ad mammas profluente, lacteus liquor pueris aequè ac puellis, quod cuiusvis matronae non ignotum, saepius feceritur. Lactis secretionem ex propria sanguinis ad mammas derivatione, epigastricae arteriae ope, pendere, ex praemissis videretur ; atque haec etiam, plethora absente, evenire potest, quod pluribus argumentis suffulciri patet ; namque omnes gravidas minime plethoricas esse ; multo minus puerperas et infantes ; illae enim, per aliquot dies post partum, alimenti parum sumunt, sanguinem etiam amittunt, et tenui vivunt diaeta. In hisce tamen omnibus, mammae lac secernere solent. Exempla porro extant plurima in quibus foeminae, paucis post partum diebus, sanguinem ad libras aliquot usque amiserant ; attamen copia lactis ad foetus alendos nequaquam iis defuerit. Hoc modo disceptare solent qui lactis secretionem post partum, ex commu-
nicatione

nicatione epigastricae cum mammaria arte-
 ria, provenire censent. Ac, primo quidem
 conspectu, hoc rationi prorsus consentane-
 um videtur; nonnulla tamen, me iudice,
 huic opinioni parum favent. Optime enim
 compertum est, quanquam epigastrica arte-
 ria cum mammaria communicat, verum
 tamen ramos communicantes perpauca ef-
 fe, eos quoque accurate cera admodum dif-
 tensos, pili equini diametrum vix superare
 videri. Ita haudquaquam a priori conji-
 cere possumus, cum multo minores in cor-
 pore sint vivo, hos magni aestimandos esse,
 haec qualiacunque sint, ipse, ut credam, in-
 ducor intimum uteri cum mammis consen-
 sum, in hoc phaenomeno producendo, haud
 parum valere. Consensus ille medicis est
 notior quam qui jam commentario egeat:
 Exempla haud dubia extant ubi lac e mam-
 mis animalium post venerem, quamvis ste-
 rilem, manaverit, eo ipso tempore quo, si
 concepissent et peperissent, manare solitum:
 Unum exemplum fert animus dicere, quod
 nobis Doctor Young retulit: Cani quae,

etsi nullo post coitum foetu gauderet, solito tamen pariendi tempore, lacte ultro profluente mammae distendebantur. Ex quibus omnibus sympathiam quamlibet, per ipsas naturae leges, has inter partes intercedere, et cum aliis causis supra memoratis concurrere in hoc effectu producendo forsan concludere licebit.

S E C T. III.

De Cura Mammarum Mulierum, quibus in animo est prolem suam lactare.

Principio igitur, quod sane summi momenti est, curandum ut tempestive admoveatur mammis infans. In varias hac de re varii auctores sententias abiire; alii sex post partum horis recte admoveri putant, alii duodecim; Le Vrett, ne admoveatur ad
diem

diem usque quartum, vel donec lactea febris evanuerit, suadet. Praestabit autem infanti papillam praebere quamprimum mammae matris tumere vel dolere levissime incipiant; diutius enim morando papilla fit brevior, et tandem fere obruitur tumore mammae, et lac difficiliter exfugitur. Alia quoque res hanc tractandi rationem confirmare videtur, ideoque forsan observatu digna. Secretionem lactis post partum ex majore sanguinis copia, quacunque ex causa id contingat, in mammas profluentis oriri non dubitandum; cum aucta haec sanguinis quantitas pro certo magnopere stimulet, partem hoc ferre non mediocrem in promovenda lactis secretionem, concludere haud nefas; nam, si aliquamdiu mamma huic auctae sanguinis copiae, antequam ad secretionem infantis conatibus quasi invitatur, consueverit, metuedum erit, ne male in posterum ad suum officium valeat, neque idoneam quoque ad infantis nutrimentum sat fuerit lactis quantitatem, secernat. Quin, si aliis credendum est,

est,

est, exempla haud defunt, ubi lac e mam-
mis virorum et virginum fugendo educ-
tum fuerit. Ductus papillae, sebacea non-
nunquam materia obstructi, exitum lactis
impediunt; hinc infans crebris frustra co-
natibus defessus omnino demum papillam
recusat; ideoque alio infante, aut quavis
matrona, lac educere solita, opus est, et, lacte
jam profluente, admoveatur infans, quod
iterandum est quoties lacte turgidae eva-
dunt mammae. Sebacea haec ductuum
obstructio haud raro accidit, atque magna
ex parte fovendo papillas, subinde ante par-
tum, lacte et aqua calida prohiberi potest.
Si papilla contracta et brevis adeo evasit, ut
ab infante prehendi et fugi nequeat, aut
tenella adeo ut duci ab infante mammas
non sinat mater, ad suctum aridum, de quo
alia dissertationis parte pauca proferentur,
decurrendum est.

S E C T.

S E C T. IV.

De Cura Mammaram Mulierum, quibus in animo non est prolem suam lactare.

Quamvis haud dubium est omnem foeminam prolem suam lactare, si potest, debere; variis tamen de causis multae hoc officium suscipere nolunt, ideoque infantulus foeminae alienae tradatur necesse est; tum vero matris mammae curam nonnullam postulant.

1mo, Cavendum ne magna lactis copia mammas invadat. *2do*, Ut praesenti lacti exitum praebeamus quam facillimum. Ad primum assequendum consilium, plurima mammis admota, veluti unguenta, &c. nonnulli prodesse existimant; haec autem omnia, nisi
 puerperis

puerperis gratum aliquid facere vellimus, prorsus sunt inutilia, cum nihil adhuc com-
 pertum mammis externe admotum ejus secretionem prohibere possit. Quamobrem alia tentare oportet; atque optima quidem ea videntur quae, incolumi foemina, sanguinis profluvium ad mammas prohibent; cujusmodi sunt evacuationes lentae, tenuis et sicca praecipue dieta, atque ut parce fluida adhibeantur, praescribendum. In quibusdam vero foeminis, tali sanguinis determinationi ire obviam nequimus; ac proinde lacti jam secreto exitum quam facillimum moliri oportet: Atque hoc magis necessarium videtur, cum mammarum distensione et subsequenti stimulo, talis inflammatio excitetur, morbum qui febris lactea nuncupatur ciere solet; primum igitur mammae exonorandae humido vel arido suctu; humidus ab infante vel adulto fieri solet; alter, aridus nimirum, maxime adhibendus est, cum papilla brevis adeo facta est, ut ore prehendi et fugi non possit. Hic modis plurimis

plurimis diversis, velut vitris, ampullis elasticis, &c. fieri solet; aut vase vitreo, Ang. *decanter*, aëre per aquam calidam excluso.

Utraque autem ratio, quamvis subinde necessaria, quam rarissime tamen iteranda, ne ex nimio usu mamma fecernendi consuetudinem difficillime rumpendam acquirat.

Mammarum interdum dolores, applicato unguento molli, scilicet pomato, leniuntur, quo partes laxatae facilius distendantur, usquedum lac a vasis absorbentibus hauriatur; namque naturae egressum hac via difficilem inveniendi ad illam cito decurrendum est.

S E C T.

S E C T. V.

De Abscessibus Mammarum post partum orientibus.

Mammae post partum morbis variis sunt obnoxiae, suppurationibus praecipue, quae hoc tempore saepius quam alias eveniunt; foeminis praesertim quae suam progeniem lactare recusant; nam ad has partes singularis quaedam, unde lac fecernatur, sanguinis est determinatio, quam foetui alendo, ut memoratum est, natura destinavit; mammas ideo tam hoc tempore obnoxias inflammationi esse, minime mirum videbitur. Verum enimvero, cum lactis per papillam non pateat exitus, fibrae nervosae, jam antea per se admodum irritabiles, stimulantur, quibus vasorum actio tantum augetur, ut inflammatio inducatur, magna quidem totius systematis

tematis nervosi, jam nunc irritabilitas, una cum nota mammas inter et uterum sympathia, vim afferant huic affectui non mediocrem, et causa excitans haud interrupta inflammationem continuo excitat. Quae aestu febrili, in omnibus ullius momenti inflammationibus contingere solito, stipatur, atque haec plerumque lactea febris nuncupatur. Quanquam haec febris intra biduum triduumve vulgo quiescat, haud raro tamen inflammatio in abscessum definit.

Hoc etiam aliquando nutricibus, aequae ac prolem non lactantibus, adesse solet, praesertim si non tempestive infans mammas nutricis fuerit admotus, vel alia quavis causa quae lactis per papillam egressum impediat.

Abscessus mammarum in genus duplex dividuntur. *1mo*, Quod rapide progreditur blandum et bonum pus daturum, et intra dies quatuordecim vel quindecim definiturum. *2do*, Quod pigre progrediens pus

tenue et malum excernit, perque mensem vel amplius aegram vexare solet.

Nonnunquam post abscessum hujusmodi sanatum symptomata novae suppurationis observantur, sicque in longum tempus ad menses usque octo vel novem morbus protrahitur. Cum suppurationes in mammis nonnihil semper afferant molestiae, et saepe summum nec leve periculum, quam maxime cavendum est ut inflammatio resolvatur, atque victus parum nutriens et ficcus, potusque parcissimus, esse debent. Quo consilio alvus laxantibus lenioribus fervetur libera; sanguinis etiam detractione, inflammatione admodum urgente, opus est; rarius tamen et parcius in his quam in aliis inflammationibus, propter fluxum sanguinis ab utero post partum. Hic autem, si defuerit sanguis, vel ex magna vena per scalpellum, vel saltem ex ipsa mamma, per hirudines omnino mittendus est. Diverfa quoque emollientia remedia, nec quidem immerito, commendata sunt; cataplasma

vero

vero e mica panis cum solutione sacchari saturni, immisto olei olivarum tantillo, omnibus aliis, me iudice, praeponendum. Quamvis autem plumbum iners esse nonnulli objecerint; cum saepius tamen maximum levamen in hujusmodi malis ex eo ipse viderim, id tanquam bonum remedium laudare non dubitavi. Hoc cataplasma quotidie bis terve redintegrandum est, mammae quoque aegrotantis lacte et aqua, ut ductus lactiferi serventur liberi, faciliusque pateat lacti exitus, calida fovendae. Suctum interea aridum, vel humidum, si ferri potest, nequaquam omittere oportet; verum enim vero suppuratio saepius parum valentibus medicorum conatibus eveniet; ea autem imminente, tumor magno cum dolore augescere observatur, cuticulae pars contigua durescere, et cito pulsu persistere febris. Quando hucusque perventum est, eam incitare debemus quantum tuto possimus. Hoc consilio, plurima adhibita fuere; forsitan autem cataplasma e pane et lacte, cui olei
vel

vel butyri paululum, emolliendi gratia aditum, fuisset nulli eorum secundum.

Si autem ruptu abscessus sit tardior, et ipsa mulier dolore, febre, et sanguinis jactura, puerperis familiaribus, exhausta fuerit, tunc alia cataplasmati immiscenda sunt, cum aegri medicamentis, quorum ignari sunt, quam iis quae callent, plerumque magis confidant. Hoc modo pergendum est donec abscessus rumpatur; haudquaquam enim iis auctoribus consentio, qui scalpello vel caustico maturum aperiendum esse autumant; quoniam haec methodus magnum dolorem aegrotanti non creare non potest, praesertim cum haec inflammatio profundius sita, ab omnibus fere aliis discrepet, quod nulla, eo usque ventum esse, ut abscessus aperiri debeat, indicia proferat, atque ex doloribus magnopere ingravescentibus, per diem vel alterum ante ruptum abscessum, nobis erit tantum conjiciendum. Cum tamen percipitur abscessum esse probe maturum, atque nihil praeter cutis crassitudinem obstare quo minus rumpatur,

patur, tum quidem partem inferiorem scalpello aperire fas erit. Postea simplex molle unguentum vulneris marginibus applicetur, in medio linamentum, superque cataplasma; sicque tractandum est donec purulenta excretio fiat; tum amovendum cataplasma, reliqua autem donec prorsus sanatum fit vulnus, continuanda. Neque omnino cum iis possum consentire qui suadent, vulnus minus patulum scalpello distendere, vel si curationi, ut illi aestimant, proclivius videatur, sanationem ipsius durioribus immixtis turundis prohibere. Omnia haec enim prorsus sunt inutilia, atque aegrotis molestissima; Quin et non modo non necessaria sunt ad promovendam sanationem ulceris; sed huic plurimum obstant quae ferre solis naturae viribus feliciter absolvitur: Quamvis enim non raro accidit, ut, uno curato, alius abscessus in altera forsan erumpat mamma; eodem tamen quo prior tractandus est modo. Saepius autem post suppurationes mammaram curatas, durities quaedam superest, aegrae nonnihil molestiae faciens.

faciens. In hoc statu, mamma modice calida fervanda est: Sic enim tumor brevi se resolvit.

Haec de primo abscessus genere; alterum suppurationis genus malo corporis habitu praeditas infestat, progressu tardius est, atque diu emittit pus tenue, malignum, et foetidum. Hoc quoque curato abscessu, aliud atque aliud ejusdem generis interdum erumpit, perque menses aliquot aegram miserrime infestat. Hoc molestissimum ulcerum genus sanatu difficillimum existat, praesertim si aliquamdiu post partum contingat: Tum quidem ad medicamenta quae vocantur *alterativa* confugiendum est, veluti mercurium caute et parce adhibitum; et interdum gummi calida, veluti galbanum, &c. vitello ovi soluta, et idoneis cataplasmatibus admista, mammis applicare convenit. Si aegra strumosa fit constitutionis, balneum fortasse marinum, victus plenior, medicamenta tonica, &c. multum levaminis conferre possunt.

Aliis

Aliis quoque ulcerum generibus mammae obnoxiae sunt, venereis scilicet et cancerosis : De his vero primo agendum ; quoniam illa ad morbos papillarum recte referuntur, de quibus postea dicendum erit.

S E C T. VI.

De Scirrho et Cancere Mammarum.

Nullam esse humani corporis partem tumoribus scirrhosis et cancerosis aequae ac mammae obnoxiam, ex praemissis de earum fabrica variisque morbis facile intelligetur. Plurimae hujus rei videntur esse causae, quarum praecipua est quod plus minus externis injuriis saepe pateant.

Hi tumores omnibus vitae stadiis interdum accidunt, frequentius autem cessantibus jam mensibus observantur : Quamvis enim

enim ante multos annos fundamenta eorum jacta essent, et parvi et duri tumores inducti, usque ad hoc vitae tempus inertes manent, ubi in cancerem haud raro vertuntur. Tumores hi scirrhusi externas injurias saepe consequuntur, nonnunquam etiam ex internis oriuntur causis; plerumque vero ex prioribus*. Cum per longum tempus tumores quasi consopiti fuerint, ferè negliguntur, donec ad senium usque ventum est, ubi molesti et dolentes facti, omnia in cancerem degenerandi indicia praebent.

Plurima ad canceris curam remedia fuerè praescripta, sicut aperientia, diaeta vegetabilis, decoct. farfae, mercurius, belladonna, cicuta, &c. &c. Atque hanc quidem ultimam ex pluribus in re medica exemplis, auctoritate nominum maxime venerabilium sustentatis, morbum hunc exitiosum interdum sanasse videtur; et, quamvis
nequaquam

* M^rBride's practice, p. 269.

nequaquam crediderim cicutam feliciter semper, vel plerumque successisse, ut multi, et imprimis clar. Stork, scribunt; ex auctoritate tamen virorum haud dubiae veritatis, ut credam inducor, eam posse nonnunquam multum prodesse, praesertim si antequam scirrhus magnopere augeatur, vel in cancerem versus fuerit, tempestive et recte adhibeatur.

Verum, cum cicuta adeo raro ad vota succedit, aliorum quoque medicamentorum periculum interdum faciendum, veluti mercurii; namque, conjunctis mercurii et cicutae viribus, tumores ovo gallinaceo mole aequales discussos fuisse, cel. Prof. Monro testatur. Ipse porro accuratus Swietenius plurimos enarrat casus, ubi fomentationibus, frictione levi, emplastris e gummi calidis, &c. scirrhos incipientes sanavit. Quapropter, cum morbus istiusmodi sit, ut moram patiatur, quaedam ex hisce medicamentis exhibere oportet.

Aliud specificum, si tali sermone uti liceat, a Doctore Plunket, Dubliniensi, externe adhiberi solitum, atque in levibus quibusdam mammaram tumoribus in cancerem, ut aestimabatur, vergentibus, feliciter successit. Medicamentum ejus ex arsenico praecipue constabat.

Quamvis omnia illa remedia inter legendum egregia videantur, attamen ne unum quidem ex quinquaginta sanari ab iis compertum habemus. Cum igitur nullam vel incertam opem polliceatur medicina, eo promptius ad extirpationem confugiendum, praesertim tumore jam pruriente, calefcente, et acriter dolere incipiente. Quinetiam permulti sunt, atque ii quidem haud parvi in medicina nominis, qui ne hac operatione utamur dehortantur; quippe quae non solum periculi non expers sit, verum etiam ne minimum aegrae levamen allatura *; liceat tamen affirmare, in ea sola convalescendi

* Medical Essays, Vol. V.

convalescendi spem omnem esse collocandam; nimirum quae saepe aegrotantes omnino desperatas, postquam omnia remedia frustra tentata essent, servaverit. Neque tantum morbi recrudescentis periculum est, ut medicos ab operatione terreat. Comperit enim habemus, ex auctoritate Hill, chirurgi celebris apud Dumfries, ex centum aegris laborantibus cancro in variis corporis partibus, in quibus operationem ipse fecisset, ne unum quidem ex septem morbi reditum passum fuisse. Atque etiam putat cel. Prof. Monroius, instituto calculo, hancce operationem ad minimum in tertia earum parte, quae hoc modo tractantur, prospere succedere. Haud dubitandum est si operatio tempestive susciperetur, antequam cancerem jam factam dolores lancinantes, &c. indicassent, multo magis ex operatione esset sperandum.

Modum operandi, utpote qui fit chirurgi potius, hic loci omittimus; eoque magis quod minuta ipsius descriptio limites hujus
dissertationis

differtationis longe superaret. Attamen observare vellemus, suscepta operatione, cura quam maxima opus esse, ut tota pars morbofa, etsi ad axillae glandulas paululum extensa, amoveatur: Exempla enim haud deficiunt, ubi hae glandulae, morbo affectae, successu maximo fuissent extirpatae. Atque, me quidem iudice, non solum ne nimis cito sanetur vulnus praecavendum, verum etiam ut ope fetaceae profluvium aptum continuetur necesse est.

S E C T. VII.

De Cura Papillarum.

Morbis variis vel matri, vel infanti, vel utrique, perniciosi, ac proinde gravem medicorum attentionem merentibus, papillae sunt obnoxiae.

Cumque

Cumque saepius ex ardore oris infantis teneram papillam urente oriantur, hisce effectibus cuticula papillae aliquamdiu ante partum indurata occurrendum*. Quomobrem balsamum Wadianum, balsamum traumaticum, &c. saepe adhibita sunt; haec autem odorem maxime ingratum non solum ipsi mulieri, verum etiam adstantibus, emittunt: Ita ut eorum loco, solutio salis fortis, spiritus vini, vel sacchari saturni solutio, potius adhibenda; haec per aliquot tempus ante partum, per hebdomadas scilicet sex, vel menses duos, atque bis die quolibet, usurpanda.

In alia hujus dissertationis parte, quonam modo ductus lactiferi materia sebacea obstructi liberandi sint, jam antea ostensum est. Si papillae breves adeo vel contractae evaserint, ut ab infante prehendi et exfugiri nequeant, frustra quoque aliquando conatus tandem parvulus mammam fugiat; tum quidem duplici modo eas tractare possumus;

* Cel. Prof. Young.

mus; cavendo, vel admotis idoneis cucurbitulis, ex materia illa elastica quae *catouche* vocatur, ad eliciendum lac; vel ope alius infantis majoris natu et validioris, vel demum adulti, qui idem exfugat. Haec certe ratio anteponenda est; usu enim quamvis exiguo, papillae longiores evadent, lac magis libere fluet, iterumque optato cum successu infans mammae admoveri potest.

Nonnunquam quoque accidit, quanquam papillae specie quidem ad fugendum sint idoneae, easdem saepius adeo esse teneras, ut ipsa mater infantem fugentem tolerare nequeat, si id papillarum inflammationi tribuendum est, tum una vel altera hirudo quam proxime parti applicata forsitan usui erit; quod si ex irritabilitate tantum oritur, solutio aluminis vel sacchari saturni, subinde applicata, egregiam opem pollicetur.

Ulceribus quoque non raro papillae afficiuntur, quae secundum varias suas naturas variam mendendi rationem postulant.

Quod

Quod ulcus simplex et minime malignum attinet, quod plerumque specie per totam superficiem aequali, et marginibus minime callofis, aliisque pluribus conditionibus, quas hic memorare non opus est, facile dignoscitur. Si hujusmodi ulcus pus bonum fundit, nihilo alio opus est, quam ut aëris accessum prohibeamus, interdumque suctum per cucurbitulam, vel aliam quamlibet methodum, non omittamus. Si inflammatio immodica adest, proderit, forte, hirudinem admoveere; cum autem citra multam inflammationem pus malignum excernitur, quod raro occurrit, tum remedia astringentia adhibenda sunt, qualia sunt pulv. alumen. ust. &c. quorum usus et efficacia bene nota sunt.

Aliud ulceris genus est venereum, quod areolam ad papillarum radices maxime infestat, cui margines plerumque extra superficiem exfurgunt, et simul callent; hoc genus ulceris aliam longe curationem plane requirit, vel si ignota aut neglecta propria
ejus

ejus natura ad sanationem aliquam, ope a-
 luminis usti, &c. perductum fuerit, talis
 sanationis species gravi incommodo, aut
 periculo, non carebit; quoniam virus illud
 venereum, quod fere ab infante, cujus os
 ulceribus venereis affectum est, accipitur,
 nisi per generalem medendi rationem, ope
 mercurialium, vix ac ne vix quidem e cor-
 pore expelli potest. Ulcus nonnulli causti-
 cis consumere nituntur, adhibito simul in-
 terne mercurio; mihi autem melius vide-
 tur, cum ulcus interea linamento quodam
 tenui, atque unguento molli, obtegere per-
 gamus, machina eburna vel plumbea pa-
 pillae, ne vestimentis male afficiatur, super-
 imposta, mercurium interne adhibere, cu-
 jus optima forte praeparatio est pill. merc.
 P. E. Viribus autem mercurii ulcus indies
 ad sanationem propius accedit: Et simul
 ac hoc penitus sanatum fuerit, corpus viro
 venereo prorsus esse purgatum, judicare li-
 cebit.

F I N I S.

